





1709 19.  
DISPUTATIONES PUBLICAS  
AD  
Summi JCTi,  
GEORGII ADAMI STRUVII,  
**JURISPRUDENTIAM**  
**ROMANO-GERMANICAM**  
**FORENSEM**  
intimat,  
& simul  
De Differentia inter Legulejum & Rabulam  
nonnulla præfatur  
JACOBUS FRIDERIC. LUDOVICI,  
J. U. D. P. P. & Fac. Jurid. Assessor.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.



Tudium Juridicum vulgo quidem in theoreticum & practicum dividunt, neq; hæc partitio me quidem judice ratione sua destituitur; interim tamen & hoc nemo diffiteri poterit, utrumq; illud studii genus tam arcte coniunctum esse, vel esse debere, ut nec theoria sine praxi, nec praxis sine theoria veram utilitatem praestare queat. Non enim existimandum est, inquit Rachelius, (a) practicarum disciplinarum nullam esse theoriam, sed quod non in hac, verum praxi demum terminentur. Et paulo post addit: quemadmodum Medicus feliciter & ex artis suæ principiis medicinam facere nequit, nisi probe cognita & virtute pharmaci & natura causaq; morbi: ita nec quisquam applicare jura ad facta prudenter potest, si accuratam jurum notitiam non habeat. Hinc Cicero etiam (b) JCTum, Judicem & Advocatum una fere definitione complectitur, dum inquit: Si quereretur, quisnam fctus vere sit? Eum dicerem, qui Legum & consuetudinis ejus, quæ privati in civitate utuntur, & ad respondendum (quod JCTi in specie sic dicti est) & ad decidendum (quod Judicis) & ad agendum, vel cavendum (quod Advocati) peritus est. Scilicet, res eò reddit. Denominationes rerum moralium communiter ab eo, quod potius est, desumi solent, ita tamen, ut illud, quod minus principale est, eo ipso non excludatur. Ergo theoreticus propterea quis non dicitur, quod habitus applicandi plane sit ignarus; sed quod circa additenda fundamenta atque principia interpretationis, quæ ex ratione legum, tanquam harum anima desumuntur, potissimum

(a) Institut. jurisprud. in prefat. p. 12. (b) lib. 1. de Oratore. v. Pauli de veris jur. & juri. pr. princip. P. 3. qu. 5.

mum sit occupatus. Et vicissim Practicus quis non ob  
hanc causam audit, quod principiis interpretandi fit de-  
stitutus; sed quod principalis ipsius scopus sit, ut leges,  
quas juste interpretari didicit, negotiis obvenientibus, si-  
ve illis, quæ in ipsis rerum argumentis obtinent, appli-  
care possit. Hinc Jurisprudentia ab ipso Ulpiano (c) de-  
scribitur, quod sit *rerum divinarum atque humanarum no-  
titia, iusti atque injusti scientia*, de qua definitione, quæ  
atrumque studium theoreticum & practicum eleganter  
conjugnit, multa congesserunt Barnabas Brissonius (d) Se-  
natus Parisiensis Præses, (e) Henricus Zœsius, (f) Struvi-  
us, (g) aliique.

Hisce suppositis patet statim, verum JCTum & iustitia sacerdotem esse, qui recte interpretatur & recte applicat, seu, qui docente Ulpiano (h) boni & aequi notitiam profitetur: aequum ab iniquo separat: licitum ab illicito discernit. Concurrit ergo intellectus & voluntatis recta dispositio. Si alterutrum ex hisce abest, praecipue integritas voluntatis, nascitur exinde corruptio Jurisprudentiae, ubi iniquum pro aequo & licitum pro illicito venditatur, uno verbo: Legulejismus & Rabulistica. Cum verò ingenui JCTi nec non cordati Advocati saepius à malivolis hominibus titulo Legulejorum & Rabularum malitiose insigniantur; hinc opera preium sine dubio erit, ut in naturam Legulejismi & Rabulisticæ paulo diligenter inquiramus. Putamus autem conceptum de utroq; horum vitiorum ita generaliter formandum esse: Legulejus opponitur genuino theoretico, Rabula autem vero

A 2 pr-

(c) *L. 10.*, §. 1. *ff.* de *J. & J.* (d) *antiquit. jur. civil. lib. 4.*, c. 16. (e)  
Menagius *amæn. jur. civ. c. 35.* p. 229. (f) *Comment. ad ff. i. iit. i. num. 4. & 5.* (g) *S. I. C. Exerc. 1. lib. 7.* usq; ad *ib. 13.* (h) *I. 1. S. I. ff. de J. & J.*

practico. Utrumque Vitium ortum suum quidem ex voluntate corrupta dicit, Legulejismus autem precipue in illis sese exserit, quæ ab operatione intellectus dependent, scilicet in interpretatione, Rabulistica autem in iis, quæ potissimum voluntatem respiciunt, scilicet in applicatione Legum ad facta & controversiarum civilium discussione.

Verus JCtus novit in interpretatione Legum obvenientium non solum ad verba respiciendum esse, quippe quæ omnibus casibus accommodari nequeunt, sed præcipue ad rationem, quæ anima Legum dicitur, unde jandūm Celsus (i) pronunciavit, *scire Leges non hoc esse, verba earum tenere, sed vim atque potestatem*, id est, rationem, ex qua hæc vis & potestas provenit. Legulejus contra solis verborum apicibus inhæret, neque rationem admittit, atque adeo nec extensionem legis, nec ejusdem restrictionem, licet ipsi clare ob oculos ponatur, quod ratione Legis neglecta absurditas ex lege manifesta sequatur, quam Legislatorem intendisse neutiquam præsumendum est. Causa hujus vitii non est una, sed plures. Provenire illud interdum putamus *ex neglectu doctrinæ de interpretatione*, quæ ex philosophia rationali desumenda est. Quod enim de origine atque rerum initiis asserit Catus, [k] illud quoque eadem ratione ad hanc philosophiæ partem applicari potest, scilicet *inconveniens esse, omisso initio atque illois manibus protinus materiam interpretationis tractare*. Haud raro etiam Legulejismus *ex prejudicio autoritatis* originem suam deducit. Experientia enim quotidiana testatur, plurimos homines esse, qui quasi in verba Magistrorum suorum jurarunt, neque adeo rationem ullam admittunt, licet evidentissimam, eo solo contenti, modo

---

(i) l. 17. ff. de LL. (k) l. 1. ff. de O. J.

modo cum Pythagoræ discipulis respondere queant: ipse  
dixit. In sacris fides carbonaria cum hoc virio conve-  
nire videtur. Absit interim, ut quis nobis affingat, ac si  
omnem autoritatem Virorum eruditorum contemnamus;  
absit hoc. Veneramur Viros doctrina præstantes & re-  
movemus saltem coecum assensum eorum, qui sola au-  
toritate sine ratione nituntur. Evidem novimus etiam,  
quod quando de usu & observantia quæstio est, haud ra-  
to ad solam autoritatem confugiendum sit; verum de eo  
nos non loquimur, cum Legulejismus præcipue in stu-  
dio theoretico circa interpretationem Legum sese exerat.  
Addi hisce potest, tanquam nova causa, *pertinacia defen-  
dendi ea, quæ semel asserta fuerunt*, sive recte sese habe-  
ant, sive minus. Consilium quidem in melius mutare,  
sapientia est, (l) ast non omnes hoc comprehendunt, de-  
cori sibi esse putantes & indicium inconstantis animi,  
si concedant se homines esse atque errorem committiſſe.

Porrò verus Practicus novit, quanlibet etiam mi-  
nimam circumstantiam jus variare & sic juxta varias cir-  
cumstantias applicationem juris quoque variam esse; Ra-  
bula è contrario quascunque causas, sive justæ sint, sive  
injustæ, absque consideratione circumstantiarum defendit  
& victoriā etiam in causa injusta extorquere intendit.  
Verus Practicus agnoscit bonam fidem; Rabula autem u-  
titur suis principiis: *nega, appella, transige, corrumpe.* (m)  
Quod si vero cordatus Judex ejus machinationibus sese  
opponit, vel etiam adversa pars ejusdem cavillationes de-  
tegere easque Judicio oculos ponere nititur; tunc statim  
ad convitia deflectit, de injustitia conqueritur, nullitates  
crepat, Judicem ignorantiae & malitiae arguit. Petrus De-

(l) Brunnem. Proc. Civ. c. 28. n. 9. (m) v. Pauli de princip. jur. p. 2.  
qu. 15. in f. p. 106.

naſius, JCtus & tandem Aſſessor Cameræ Imperialis tales Rabulas magno odio prosecutus eſt, appellans eos formularios & aucupes syllabarum ſubtiliter cœcutientes: qui vera Jurisprudentia fundamenta ne per tranſennam quidem viderint, nedum cauſis ſuis, quarum patrocinium fuſcepiffent, accommodare ſciant, cum ſummo fuorum Clientum detrimento & exitio. (n) Colligimus exinde, quod Rabulae non ſolum in applicatione juris peccent, ſed quod ſimil etiam & ſæpe habitum interpretandi ne quidem poſideant. Neque hoc mirum videri potheſt. Non triennium, inquit Aegidius Menagius, (o) non trimeſtre tempus, vix triduum ei (ſtudio juridico) impeditur. Citoſis equis uno die urbem Aureliam petunt juris Candidati: altero Licentiatus, quem vocant, ibi gradum ſumunt: tertio Jurisconfulti Lutetiam redeunt: ut, quod joco olim de ſe Marcus Tullius, triduo ſe Jctos proſiteri ſerio velle videantur. Advocati quarto die fiunt: quinto venia ætatis à Principe impetrata, qua nibil pernicioſus eſſe contendο. Judices fine legitimo examine facti, de fortunis, de virtutis hominum judicant. Tales quando pro Advocatis ſeſe gerunt, piperni grum eſſe negant & aliquando album dicunt. (p)

Plura de hoc hominum genere dici poſſent, ſed anguli limites, quoſ nobis in praſenti propoſuimus, hoc non permittunt, imò etiam à Zieglero in peculiari libro aliisque hoc jam praefitum fuit. Illud interim adhuc notamus, quođ olim Legulejorum & Caſidicorum nomen in bonam partem pro Jurisperito & Advocate acceptum fuerit. (q) Verum hodie aliud horum vocabulorum eſt significatus, & Rabulae etiam Vox, quantum no-

bis

(n) v. Adami in Vitis ICtorum ſub Deniaſii vita p. 446. (o) in praefat. aman. jur. civ. ad Lud. Nubleum. (p) Baldus in repet. l. 1. in ſ. de Offic. Aſſeff. Paris de Puto de Sydicatu tir. de Excoſſ. Advol. p. 22. (q) Schardius in lex. jurid. voc. Legulejus. l. 6. & 7. C. de poſtul.

les  
na  
qui  
qui  
n  
im  
de,  
nt,  
ne  
est  
re  
ita  
al  
su  
ar  
Ad  
im  
le  
di  
ni  
an  
noc  
li  
ad  
um  
ac  
lo  
no  
bis  
fa  
in  
vol  
stu

bis constat, nunquam verum advocatum denotavit. Dicuntur enim Rabulae à rabie, quippe qui inter garriendum & velitandum sinum conspiciunt, linguam rotant & dentes arietant, & qui sibi diserti non videntur, nisi omnia tumultu & vociferatione concusserint, quorum intuitu Ferrarius Montanus Herculem quicquam desiderat, qui magnam orbis partem hisce hominum eruscatoribus atque harpyis eripiat. (r) De maximo Rabularum numero in Gallia & Hispania post Hotmannum aliosque agit Samuel Neander. (s)

Cum itaque maxima mala a Legulejis atq; Rabulis proveniant; hinc genuino Juris Cultori omni certè dili- gentia in theoreti & practico studio cavendum est, ne futuro tempore societatem cum ejusmodi hominibus con- trahat, id quod cavere potest, si primo quidem studium philosophiae rationalis atque moralis ritè excolat, deinde vero in ipso juris cursu verum legis sensum discendo, re- petendo, disputando, examinando, eruere nitatur. Fecit hæc & adhuc facit ille, qui præsentis instituti, quod nunc significamus, autor existit, cultor veræ philosophiæ atq; Jurisprudentiæ solertissimus,

DN. JOHANNES AUGUSTUS BONHORST,

Claufthal-Hannoveranus,

Commensalis & amicus noster favissimus. Is non so- lum, ut de privata industria in quolibet bonarum artium genere nunc nihil dicamus, jam ante hos tres annos sub Praefidio Clarissimi Viri, M. JOHANNIS UDALRICI STOER, Studiorum suorum tunc temporis moderatore, duodecim disputationes ex Philosophia Morali in celeber- rima Academia Julia publice habuit; sed nunc quoque in hac Fridericiana sub nostro Praefidio summi, dum viveret,

JCTi,

(r) Schardius in Lex. voc. Rabula. (s) in tract. de J. & J. §. 38.

JCTI, GEORGII ADAMI STRUVII, Antecessoris Jenensis, Jurisprudentiam Romano-Germanicam foresem publicis disputationibus repetere secum constituit, & in hunc finem totum librum ita partitus est, ut decem disputationibus in universum absolvatur, hoc modo:

Disp. I. complectitur Titulos XV. priores.

II. proponit Tit. XVI. Lib. I. & reliquos usque ad finem libri.

III. Tit. I. Lib. II.

IV. Tit. II. Lib. II. & seqq. usque ad Tit. X.

V. Tit. X. Lib. II. & seqq. usque ad Tit. XXIV.

VI. Tit. XXIV. & seqq. usque ad finem libri.

VII. Titulos priores XVII. Lib. III.

VIII. Tit. XII. X. & seqq. usque ad finem libri.

IX. Titulos X. priores Libri IV.

X. Titulum XI. & reliquos usque ad finem.

Cum itaque ipse liber, quem elegit doctissimus Responsurus, adeo elegans & methodice conscriptus sit, ut omnibus tam docentibus, quam discentibus dudum sele commendaverit: præterea etiam Jurium cultores ex ejusmodi disputationibus non parum proficere queant; hinc omnibus hocce institutum eo gratius atque acceptius fore certo confidimus. Disputationes habebuntur ordinarie die Sabbathi à meridie ab hora II. ad horam IV. in Auditorio majori, interdum tamen occasione ita ferente & alias horas feligemus easque schedula publice affixa significabimus. Initium laboris Deo volente fiet die XXVI. Novembris. Ut ergo MOECENATES, PATRONI, FAUTORES atque COMMILITONES nostri actus disputationis præsentia sua illustriores & frequentiores reddere haud dedignentur, ea, qua decet, animi submissione ac observatio enixe rogamus. P. P. in Academia Fribericiana d. XX. Novembr. MDCCVII.

Halle, Diss., 1707 ff.-870

ULB Halle  
003 591 59X

3



Mit R-19a  
nicht verbunden







1709 11  
DISPUTATIONES PUBLICAS  
AD  
Summi JCTi,  
GEORGII ADAMI STRUVII,  
JURISPRUDENTIAM  
ROMANO-GERMANICAM  
FORENSEM  
intimat,  
& simul  
e Differentia inter Legulejum & Rabulam  
nonnulla præfatur  
COBUS FRIDERIC. LUDOVICI,  
J. U. D. P. P. & Fac. Jurid. Assessor.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.